

blicæ forma est, quam in regionibus Boëmicis aliquando visam narrat *Aeneas Sylvius* a) sub Valasca, quæ totis septem annis cum feminis suis Boëmiæ regnum iisdem fere, quibus olim Amazones, legibus tenuisse fertur. Eodem spectant, quæ magnam imprimis Historiæ Amazonicæ fidem adferunt, in Christophori Columbi Nauticorum Commentario indigenarum testimonio de Martinica Insula relata, affirmantium, hanc à solis hodiernum feminis, Amazonum ritu viventibus, habitari: Unde ab ipsis fluvium non exiguæ magnitudinis in America *Rio de las Amazonas* appellatum esse *Fer. Cortesius* b) & *P. Jo. Dos Sanctos de familia sancti Dominici* c) existimant. Nec prætereundum hoc loco erit antiquissimum, sicut *Athanasii Kircheri*, d) quam ex Arabis, Ben Lehiajæ, ore accepit, relationi credimus, Regiæ Dalukæ, filiæ Zabû, exemplum, quæ post Pharaonis Israelitarum persecutoris cladem in mari rubro, (cum quo & quotquot erant in Ægypto virorum illustrium, Principum & magnatum periisse dicuntur) ob defectum virorum, qui regno præessent, (sola enim mancipia & liberti supererant) Regina electa erat, tanquam prudentia & rerum notitia maxime conspicua, loco & familia illustris, & tunc annos nata centum & sexaginta. Hæc enim regno præfecta post innumera alia munimenta murum, quo tota Ægypti terra circumdaretur, ædificasse, irruentemque hostem fortiter regni sui terminis arcere ausa memoratur. Cujus rei veritatem corroborare videtur *Grotius*, e) qui ex Taciti aliorumque narratione Ægyptos olim & Britannos sexum in Imperio non discrevisse tradit. Quare sicut *Semiramis* Assyriis, Ægyptiis *Cleopatra*, *Artemisia Halicarnasæis*, *Palmyrenis* Arabia populis *Zenobia*, *Tomyris* Scythis imperasse constat; quo pacto etiam inter Scytharum gentes *Sauromatæ* γυναῖκες ἡγεμεναι, i. e. quibus mulieres imperant, a *Plinio* f) appellantur: Ita non solum *S. literæ* Arabia Regiam g) Regiam *Candaces* h) & cui populi sui Israelitici Imperium ipse Deus tradiderat, *Deboram* i) memorant; sed post *Marullam*, *Valascam*, *Libussam* & alias Boemiæ *Duces* k) etiam Anglia

A 3

Eli-

- a) *Hist. Boem. C. VII.* b) *Fast. de Indis Medit.* c) *in Descript. nova Æthiop. Orient.* d) *Syntag. I. de Reg. Ægypt.* e) *de J. B. & P. L. II. C. VII. n. 12.* f) *L. VI. c. 7.* g) *I. Reg. X. & XI.* h) *Act. VIII. v. 27.* i) *Jud. IV, 5.* k) *An. Sylv. Hist. Boem. passim.*